Jahres-Bericht

über das

Städtische Progymnasium,

womit zu der

Mittwoch den 20. März 1861

(Vormittags von 8½—1 Uhr und Nachmittags von 2½—4½ Uhr)

in der Aula der Anstalt

stattfindenden

öffentlichen Prüfung der Schüler

ehrerbietigst und ergebenst einladet

der Rector Dr. **W. Beschmann.**

8.

Inhalt:

1. Quaestionum Ovidianarum part: I scr. Dr. H. Schuetze.
2. Schulnachrichten vom Rector.

Spandau 1861.

Postquam Peerlkampius, doctissimus ille et sagacissimus homo Batavus, neglecta, quae codicibus tribui solet, auctoritate, in Vergilii Aeneïde et in Horatii carminibus multos detexit locos, quorum difficultates tot interpretum aciem ante eum effugerant, etiam apud nos passim extiterunt, qui eandem atque ille sequerentur viam ac rationem. Quorum multo audacissimus Gruppius fuit, qui quum in eo, quem de elegia Romana scripsit, tum in eo, quem de poëtarum Romanorum interpolatoribus ante hos duos annos edidit, libro, nequaquam in illis Horatii et Vergilii carminibus substitit, sed aliorum etiam poëtarum opera ita percensuit, ut eleganti quodam perfecti artificii sensu et ejus, quod pulchrum habetur, rationibus mallet confidere quam severis philologiae legibus. Itaque non solum singulos versus, sed tota carmina, longiores carminum partes spurias esse putavit; in aliis ordinem versuum commutavit, alia in plures partes divisit, alia in unum contraxit. Jam vero, quamquam negari non potest, hoc modo gravissimas moveri quaestiones, quae, si accuratius agitentur, non exiguum fructum afferre possint literarum Romanarum studiis, tamen, ne perpauca eorum, quae nova atque usque ad hoc tempus inaudita proposuit magis quam argumentis firmavit Gruppius, viris doctis possint probari, veremur.

Sic in alterius libri p. 493 carmen, quod remedia Amoris inscriptum est, num sit Ovidii, dubitat. Leguntur enim ibi haec: Ich berge nicht, dass ich noch gegen ein anderes nahe stehendes Werk des Ovid einen grossen Zweifel hege. Es sind dies die *Remedia Amoris*. Wir finden sie nirgend bei Ovid erwähnt, wie doch von der Ars zum öftern geschieht. Es ist wahr, sie kommen der Ovidischen Art sehr nahe, in allem Aeussern, was sich ablernen lässt. Aber stehen sie ihm auch nahe in der Individualität, in der Empfindungsweise, haben sie Zeichen seines Genius an sich? Ich sage nein. Es kommen darin Rohheiten vor, z. B. v. 405 flgd., wie sie nie von Ovid herrühren können und wie sie ganz dem Charakter seiner Poësie widersprechen. Aber das Stück scheint mir auch die positiven Kennzeichen einer gelungenen Nachahmung an sich zu tragen, in dem gesucht sorgfältigen Anbringen aller zugänglichen Notizen, die aber doch allgemein und unbestimmt bleiben, nichts enthaltend als Wiederholungen dessen, was anderswo mit dem Gepräge Ovidischer Originalität auftritt. Und wann sollte auch Ovid das Stück verfasst haben? Es datiert sich selbst nach der Ars und giebt sich als Gegengewicht. Es erwähnt schon der Anklage, der daher entspringenden Anfechtung — aber ganz anders als in den Tristien; und wie damit vereinbar jene gesteigerte Rohheit?

Quae quum legeremus, vereri coepimus, ne vir ingeniosissimus amore inventi abreptus germana pro spuriis habeat. Si enim omnia haec argumenta accuratius perspexeris, nequaquam ea idonea esse, propter quae Ovidio totum carmen abjudicetur, videbis. Atque primum quidem nunquam sane in aliis hujus poëtae operibus ejus carminis fit mentio. Sed quis est, qui inde, subditicium hoc esse, vel ipse

credere vel aliis persuadere possit? Praesertim quum Gruppius ejusdem libri pag. 492 ipse etiam illud de medicaminibus faciei fragmentum spurium esse judicet, quamquam in Artis amatoriae libro III, 205 sq. commemoratur. Vides, quanta licentia usus sit vir doctissimus. Idem, qui ibi maxime offenditur eo, quod carmen alias non laudatum inveniatur, hic nihil fere momenti mentioni factae tribuit, quatuor versus, quibus omissis sententiarum connexus non perturbetur, expungens. Nam quae praeter hanc allatae sunt causae, quibus eos versus spurios esse demonstret, iis quum nulla alia re nisi quibusdam, quas de pulchri natura concepit, nitantur, opinionibus, non facile cuiquam persuadere poterit. Itaque quod ipse sibi concessit Gruppius, id etiam nobis concedet: hic parum interesse, carmen aliquod utrum ab auctore etiam alio operum suorum loco commemoretur necne.

Ut deinde alterum de tempore, quo componi potuerit poëma ab Ovidio, argumentum statim consideremus, inter omnes, carmen de Arte amatoria anno fere septingentesimo quinquagesimo secundo a. u. c. confectum esse constat. Quum autem e vs. 12. 43. 71. al. Remedia Amoris post illud composita esse videantur, ex ipsa eorum indole, ea paullo post edita esse persuasum habemus; postea enim serioris argumenti poëmatis operam dedit Ovidius, metamorphoseon libris et fastis, quos eodem anno, quo in exsilium missus est, jam in eam fere, quam nunc praebent, formam scimus redactos esse. At Gruppius in Rem. Am. jam criminis illius, propter quod poena miserrima affectus sit poëta, mentionem fieri contendit. Et sane quidem tunc tempus, quo conscriptum sit hoc carmen, multo posterius statuendum esset. Sed quid? Non affert vir doctissimus locum, quo illius criminis ratio habeatur. Nobis igitur, si singulos carminis percensemus versus, hi soli videntur ab eo posse significari:

(361 sq.) Nuper enim nostros quidam carpsere libellos,
Quorum censura Musa proterva mea est.
Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe,
Quod dolet, impugnent unus et alter opus.
Ingenium magni livor detrectat Homeri:
Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.
Et tua sacrilegae laniarunt carmina linguae,
Pertulit huc victos quo duce Troja deos.
Summa petit livor. perflant altissima venti;
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.
At tu quicumque es, quem nostra licentia laedit,
Si sapis, ad numeros exige quidque suos.
(387, 8.) Si mea materiae respondet Musa jocosae,
Vicimus et *falsi criminis acta rea est.*

Quis est, qui haec legens de illo impudicitiae crimine cogitare velit, quod postea ab Augusto prolatum perniciei fuit poëtae? Nonne potius haec e vs. 367 sq., ubi Zoilus, severus ille Homeri castigator, nominatur, et vs. 389:

Rumpere, livor edax. magnum jam nomen habemus.

ta interpretanda sunt, ut Ovidius his verbis eos criticos aemulosque alloquatur, qui Arte amatoria modo edita gravitatis antiquae defensores protervam ejus levitatem vituperaverant. Sic contra homines ejusdem generis Catullus quoque et postea Martialis se defendere coacti sunt. Si autem illud Ovidio ab Augusto amicisque ejus jam tunc opprobratum esset, profecto is, cujus obnoxium Augusto et obsequiosum animum ubique animadvertimus, Remedia Amoris omnino non scripsisset, nedum hoc modo se purgasset. Itaque quod crimen hic commemoratur, non obstat, quin hoc carmen statim post Artem amatoriam confectum esse putemus.

Quum Gruppius porro in carmine illo aliam sentiendi rationem ab Ovidio alienam inveniri contendat, pluribus exemplis quam illo uno e v. 405 sq. repetito vellem hoc docuisset. Nam quomodo obscenissimi versus a locis similibus in Amoribus, Epistolis, Arte amatoria, quos singulos enumerare nos taedet, differant ita, ut e diversa sentiendi ratione profecti esse debeant, non apparet. Immo vero (cf. Leutsch. in encyclop. s. v. Ovidius p. 77., Bernhard. in hist. lit. Rom. p. 448.), idem amoris genus, quod in Arte amatoria, etiam in altero carmine describitur; eaedem sunt puellae, iidem juvenes, eaedem consuetudines moresque eorum.

Restat, ut quartam consideremus causam, qua commotus, num Remedia Amoris Ovidii sint, dubitat Gruppius. Et sane quidem, si hoc carmen cum Arte amatoria comparaveris, ut jam Leutschius l. c. p. 77. recte reprehendit, haud exiguum in inveniendi et disponendi arte discrimen inter utrumque esse animadvertes. Quo magis enim in Arte amatoria ubertas et ordo quum sententiarum tum praeceptorum e consuetudine urbana deductorum laudi est poëtae, eo magis mirum est, quod idem in altero carmine sterilis fere atque incompositus in praeceptis inveniendis videtur. Inde evenit, ut in hoc carmine loquacitas illa, propter quam ab omnibus fere Ovidius compellatur, magis quam in reliquis, quae composuit, carminibus, cernatur, et singulae sententiae saepius quam alias exemplis, similitudinibus aliisque hujus generis ornamentis dilatentur, quasi poëta verborum copia sententiarum inopiam compensare voluerit. Sic jam exordium quamvis ingeniose inventum tamen praeter morem Ovidii per septuaginta octo versus productum est. Deinde, quod primum, amorem statim initio opprimendum esse, docetur, a v. 79 usque ad v. 106 iterum iterumque repetitur, exemplis demonstratur, similitudinibus illustratur; idem, ut e multis nonnulla tantum afferam, de v. 251 sq. 315 sq. judicandum esse putaverim. Deinde autem maxima illa laus, quae poëtae in consuetudine elegantissimorum hominum, in aula Augusti, sede tum magnificentiae et elegantiae quasi schola versanti in Arte amatoria inde oritur, quod juvenes atque puellas, quibus magistrum quasi quendam amoris se praebet, ubique, in theatro, circo, porticu, foro, thalamo semper ita describit, ut quasi ante oculos nostros eos consuetudinem habere putemus, ea in altero carmine desideratur.

Porro etiam sententiae et exempla vel eadem vel certe similia iterum redeunt; cf. vs. 327 et 595; 43 et 69; 87 et 106; 5 et 159. Sic v. 225:

Dura aliquis praecepta vocet mea . dura fatemur
Esse.

compares cum v. 496: Non sunt imperii tam fera jussa mei.
et 523: Et quisqam praecepta potest mea dura vocare?

quibus in locis, quos cumulare facile est, poëtae latum illud variumque flumen sententiarum, quo prae omnibus fere poëtis Romanis gloriam quam maximam adeptus est, exaruisse videtur. Quamquam illud non vituperaverimus, nedum cum Gruppio argumentum ex eo petierimus, quo, hoc carmen falso tribui Ovidio, demonstretur, quod multa, quae quum in prioribus carminibus tum in eo, quod de Arte amatoria compositum est, inveniantur, iterum pari fere modo et aliquoties iisdem verbis allata sunt. Quorum magno ex numero haec exempla sufficiant:

R. 633, 4: Non facile est visa taurum retinere juvenca,
Fortis equus visae semper adhinnit equae.

quibus compares A. v. 279, 80.

Mollibus in pratis admugit femina tauro,
Femina cornipedi semper adhinnit equae.

Praeterea conferas Rem. 35 et A. 38; Rem. 249 et A. II, 425; R. 327 et A. 653; Rem. 57 et A. III, 39; R. 66. et A. III, 439; R. 67 et A. I, 331; R. 85, 106 et A. II. 342; R. 99 et A. I. 285; Rem. 224. et A. I.

236; R. 258 et A. III, 258. Tum exordium quoque Remediorum Amoris compluribus in partibus cum Amorum l. I. initio congruit. Rem. v. 204 fere item in Ep. IV, 172 iterum invenitur:

Aut cadat adversa cuspide fossus aper.

Et cadat adversa cuspide fossus aper.

Quae de arte magica amanti non adhibenda in A. a. II, 99 sq. leguntur, copiosius Rem. A. vs. 249 sq. expressa sunt. Porro autem simillimis verbis describitur R. vs. 271 sq. Circe Ulixem retentura Calypso A. a. II, 125 sq., nec non R. vs. 529 sq. Phyllis ad exemplum Ariadnes, qualis A. a. vs. 351, adumbrata est, ubi praecipue vs. 597:

Perfide Demophoon! surdas clamabat ad undas.

compares cum A. a. v. 350:

Thesea crudelem! surdas clamabat ad undas.

cf. Rem. 759 sq. cum A. a. III, 329 sq.; Rem. 777 cum Amor. I, 9, 33, et denique Rem. 351–4 cum A. a: III, 209–212, ubi v. 212.

Cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus

congruit cum vs. 354:

Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus.

At quamquam multi versus ita iterantur, quos plurimos facile afferre possumus, tamen in iis imitatoris alicujus artem quaerere apud Ovidium certe non licet. Primum enim is nusquam ad easdem vel personas vel res describendas iisdem sententiis, ornamentis, verbis uti dubitavit. Sic, ut uno defungar exemplo, Artis amatoriae locus, quo fuga Daedali et Icari enarratur, et sententiis et verbis simillimus est loco, qui extat in Met. libr. VIII, v. 156 sq. Quis autem propter hanc rem, alterum non Ovidio, sed imitatori alicui tribuendum existimet? Porro ille, quem ex Epistolis in A. a. repetiit poëta, versus offendere non potest, quum idem saepius fiat, velut Ep. 8, 80:

Vecta peregrinis Hippodamia rotis.

iterum legitur in A. a. II, 8. Neque mirum est in tanta versuum, quos composuit Ovidius, multitudine, quod, quamquam magnam operam, id quod postea apparebit, expoliendis carminibus dedit, talia passim eum effugerunt. Huc denique accedit, quod in Remediis Am. idem argumentum, eadem praecepta quamvis plane contraria ratione erant tractanda, quapropter similia similiter saepius expressa esse mirari non licet. — Ut autem negari non potest, pro illa ubertate et rerum et sententiarum, qua maxime insignis est Ars amatoria, in altero carmine tenuitatem quandam atque inopiam inveniendi cerni, ita in disponendi quoque ratione Remedia Amoris illi multo postponenda sunt. Nam a R. vs. 291 singula praecepta, quibus amantes amorem nimis sollicitum opprimere docentur, ordine admodum perturbato proferuntur; contra in A. a. ita inter se juncta sunt, ut alterum ex altero quasi manare videatur.

Sed quamquam in carmine de Remediis Amoris composito, si et inveniendi et disponendi artem spectas, non omnes illas virtutes, quas in A. a., inveniri concedendum est, tamen ex hac una causa nequaquam cum Gruppio, hoc carmen Ovidii non esse, colligere licet. Ex talibus enim argumentis solis tum demum certi quid statui poterit, si duorum carminum, quae eidem auctori adscribuntur, alterum alterius auctore prorsus indignum videtur. Id quod de Remediis Am. ne severissimus quidem aestimator judicabit. Huc accedit, quod si ad naturam poësis Ovidianae spectamus, eam non semper ad solam pulchri speciem compositam esse jam veteres, ut Quinctilianus, Seneca, animadverterunt. Ovidius enim, quamquam versus suos haud exigua diligentia atque studio composuit, id quod infra luculentius demonstrabimus, tamen in his nequaquam cum Vergilio atque Horatio comparari potest. Unus enim ex omnibus poëtis Romanis non ut illi summo virium nisu carmina scripsit, sed e felici ingenii

vena ea profudit. Quae quum ita sint, quis mirabitur, eundem poëtam, qui jam adolescens sponte sibi carmen venire ad numeros aptos et quidquid tentaret dicere, versus esse, ipse gloriatus erat, passim et in singulis versibus et totis carminibus non omnia cura secunda delevisse, quae calidiore illo ingenii impetu concitatus semel ediderat. Cavendum igitur est, ne, si opera ejus ad summae perfectionis speciem referre velimus, in errorem incidamus quam maximum. Id certe jure statui putamus, huic absolutae praestantiae studio in Ovidii carminibus minus esse tribuendum quam in reliquis ejusdem aetatis.

Quum igitur ea, quibus Gruppius, ut carmen de Remediis Am. compositum in dubitationem vocaret, commotus est, argumenta suspicionem quandam movere possint, neque tamen satis idonea sint, quibus certi quid statuatur, num simile discrimen existat inter Artem am. et hoc carmen *in elocutione*, exploremus. At fortasse quispiam secundum illam per tot libros traditam et toties repetitam opinionem, elocutionem Ovidii talem esse, ut facillime a diligentibus lectoribus imitatione exprimi possit, putaverit. Sed veremur, ne hoc saepius quam verius dictum sit. Quamquam enim multi imitatores hujus poëtae vestigia accuratissime presserint, tamen eos complures quidem singulos versus neque tota carmina tanti voluminis, quanti sunt Remedia Am., sic composuisse contenderimus, ut elocutio Ovidiana omnibus in partibus eorum agnosci possit. Cujus rei causae in natura quum imitationis tum hujus poëtae ipsius insunt. Primum enim nemo imitatorum et in rebus et in elocutione per totum carmen alium poëtam ita simulare poterit, ut nusquam deprehendatur. Deinde autem nobis multo facilius imitatione simillima exprimi posse videntur alii ejusdem aevi poëtae Romani, quam Ovidius, qui ante omnes carmina magis indoli, quam arti studioque debeat, quo nemo magis sit varius et quasi multiplex, quo nullus fere minus orationem latinam ad Graecorum exemplum effinxerit.

Jam vero, ut de discriminis illius, quod extare inter Artem amat. et Remedia Am. negari non potest, causis verius fiat judicium, accuratius consideranda est elocutio. Qua in re maxime dolemus, quod usque ad hoc tempus tam parvam operam ei explorandae dederunt viri docti. Quae enim a Leutschio in encyclop. s. v. Ovidii praecipue ex Arte amatoria proferuntur, multa atque egregia habenda sunt, si angustiarum spatii admissi atque consilii, quo illa conscripta sunt, rationem habes; sin autem ad rei ipsius, de qua agitur, magnitudinem spectas, perpauca. — Ut autem id, quod nobis proposuimus, assequamur, satis esse videtur, eloquendi rationem, qualis in Remediis Am. inveniatur, comparare cum Arte amatoria, quum utrumque carmen et tempore et genere adeo consimile sit, ut alterum alterius supplementum nominari possit. Quam comparationem ita instituemus, ut afferamus adjumentum quantulumcunque elocutioni Ovidianae adhuc explorandae.

Atque ut primum quidem rationes singulorum distichorum perscrutemur, quia elegia vividioris orationis formas requirit, periodi supra unius distichi modum extensae pro versuum numero non saepe quum ab omnibus hujus generis poëtis tum ab Ovidio admittuntur. Unum igitur extat in A. a. III, 633–644. exemplum, ubi una periodus primaria enuntiatione praemissa per sex disticha producitur. Neque crebro uno verborum ambitu tria complentur disticha. Quod ubi fit, semper in fine cujusque pentametri incisio minor invenitur. Cujus rationis exempla videas in A. a. I, 81–86. 93–99. 405–410. 569–574. II, 79–84. 373–378. 439–444. III, 11–16. 123–128. R. 413–418. 489–494.

Frequentius autem una periodus per duo extenditur disticha, et primum ita, ut alterum protasin, alterum apodosin alia aliquoties sententia adjuncta complectatur, ut in A. a. I, 111–114:

Dumque rudem praebente modum tibicine Tusco
Ludius aequatam ter pede pulsat humum,
In medio plausu ... plausus tunc arte carebant ...
Rex populo praedae signa petenda dedit.

117–120: Ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbae,
Utque fugit visos agna novella lupos:
Sic illae timuere viros sine more ruentes.
Constitit in nulla, qui fuit ante, color.

167–170. 219–222. 271–274. 327–330. 383–386. 529–532. 545–548. 565–568. II, 23–26. 109–112., ubi interpunctionem, qua Jahnius vs. 109, 110. cum sequentibus conjungit, propter usum Ovidianum Merkelianae praetulerimus. 217–220. 243–246. 319–322. 349–352. 609–612. 621–624. III, 185–188. 483–486. Rem. 107–110. 141–144. 399–402. 465–468. 473–476. 643–646. 731–734; deinde, ut prioris enuntiationis partes in alterum producantur hexametrum, cf. I, 57–60:

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
Aequore quot pisces, fronde teguntur aves,
Quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas:
Mater et Aeneae constat in urbe sui.

II, 315–318. 517–520. 735–738. III, 463–466. Quod componendi genus in Rem. A. non reperitur.

Neque raro periodus per duo disticha producta e tribus vel quatuor constat sententiis primariis arctissime inter se junctis, cujus rationis exempla videas haec:

A. a. I, 25–28: Non ego, Phoebe, datas a te mihi mentiar artes
Nec nos aëriae voce monemur avis,
Nec mihi sunt visae Clio Cliusque sorores
Servanti pecudes vallibus Ascra tuis.

367–370. 401–404. II, 45–48. 189–192. 193–196. 671–674. III, 149–152. 357–360. 443–446. 567–570. 695–698. Rem. 201–204. 253–256. 699–702. 593–596.

Rarius autem sententiae primariae in priore disticho praemissae altera enuntiatio subjungitur aut per pronomen relativum aut per conjunctiones aut adhibito infinitivo; sic I, 67–70:

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra,
Cum sol Herculei terga leonis adit,
Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit externo marmore dives opus.

71–74. 317–320. 413–416. 647–650. II, 449–452. 453–456. 497–500. III, 69–73. 389–392. 703–706. Rem. 207–210. 429–432. Jure tamen non frequentius hac componendi ratione usus est poëta, qui distichi naturam bene perspectum haberet.

Restat, ut nonnulla singularia hujus generis exempla afferamus. Primum igitur sententia unius distichi in alterum producitur epithetis additis in A. a. I, 289:

Forte sub umbrosis nemorosae vallibus Idae
Candidus, armenti gloria, taurus erat,
Signatus tenui media inter cornua nigro:
Una fuit labes, cetera lactis erant.

Novum subjectum additur in III, 251–254. cf. etiam II, 421–424. Deinde prius distichon completur subjecto ejusque attributis, praedicatis alterum in A. a. II, 217–220. III, 559–562. R. 145–148. In II, 735–738. comparationibus supra trium priorum versuum fines praemissis comparatum in pentametri fine sequitur.

Elucet autem ex his exemplis, quanta arte mollitiem atque latitudinem illam, quae metri elegiaci propriae sunt, cum varietate consociaverit Ovidius. Sed ubique in fine pentametri sententia, quae in versu longiore initium cepit, prorsus clauditur aut in majoribus periodis aliqua fit incisio; aut si enun-

tiatione in hexametro jam absoluta nova in pentametro incipit, hujus finibus etiam concluditur duobus exceptis locis in A. a. I, 597–600 et Rem. 539–542.

Maxime autem metri elegiaci naturae ea componendi convenit ratio, qua intra singulorum distichorum fines una vel plures periodi absolvuntur. Neque tamen mirum est, quod in utroque carmine una periodus per totum distichum non interrupto quodammodo flumine decurrens raro invenitur. Haec enim ratio dicendi, quum quietior atque sublimior sit, mobili illi levitati poesis Ovidianae non apta est. Itaque inveniuntur in A. a. haec tantum exempla: I, 133, 4:

Scilicet ex illo sollemnia more theatra
Nunc quoque formonsis insidiosa manent.

171, 2. 293, 4. 299, 300. 625, 626. 231, 232. 629, 630, II, 5, 6. 55, 56. 285, 286. 381, 382, quos Merkelius recte obelo notavit, 561, 562. 563, 564. III, 15, 16. 321, 322. 323, 324. 687, 688. 693, 694. Rem. 17, 18. 113, 114. 607, 608. 617, 618. 753, 754

Mutavit autem poëta hanc distichorum formam nonnullis artificiis, ut vocativo in pentametro addito, cf. A. a. I, 27, 28. Rem. 607, 608. aut polysyndeto, ut in Rem. 753, 754, aut appositione, ut in A. a. I, 155, 156

I, 27, 28: Nec mihi sunt visae Clio Cliusque sorores
Servanti pecudes vallibus, Ascra tuis.
Rem. 607, 8: Phyllidis exemplo nimium secreta timeto,
Laese vir a domina, laesa puella viro.
Rem. 753, 4: Enervant animos citharae lotosque lyraeque
Et vox et numeris brachia nota suis.

Praedicatum denique in his exemplis ultimum locum pentametri obtinere solet.

Multo frequentius duae enuntiationes in uno disticho extant, et primum quidem ita distributae, ut singulae singulis absolvantur versibus. In A. a. libro primo igitur sexaginta quatuor disticha ita sunt composita, ut et versus longior et brevior singulis compleantur enuntiationibus primariis; in Rem. quinquaginta octo; quorum in plurimis anaphora vel aliae repetitiones particularum vicibus funguntur. Sed amplificatio illa, qua sententia priore versu expressa similiter verbis tantum mutatis in pentametro repetitur, Ovidio, quippe quum animo esset alacriore atque vividiore, minus placuit quam Propertio atque Tibullo. Cf. tamen I, 33, 34. II, 153, 154. 437, 8. 591, 2. 639, 640. III, 247, 248. R. 27, 28. 69, 70. 107, 108:

Hostibus eveniat tam foedi causa pudoris,
Inque nurus Parthas dedecus illud eat.

Deinde singuli versus passim singulis complentur enuntiationibus ita, ut altera diversis particulis alteri subjuncta sit. Cujus generis in Rem. triginta septem, in A. a. lib. I. viginti quatuor extant disticha.

Sed disticha hac ratione composita, si crebrius redirent, taedium afferrent lectoribus redderentque carmina languida. Quod quum bene intelligeret, Ovidius aliquoties variandi causa enuntiationem, qua prior completur versus, in alterum produxit. Jam ad hoc illustrandum haec apponam exempla:

I, 185, 186: Ingenium caeleste suis velocius annis
Surgit et ignavae fert male damna morae.

cf. 187, 188. Rem. 227, 228. A. a. 543, 544:

Ebrius, ecce, senex pando Silenus asello
Vix sedet et pressas continet arte jubas.

I, 351, 352. 367, 368. 491, 492. 543, 544. 569, 570. 635, 636. 653, 654. Rem. 73, 74. 155, 156. 189, 190. 429, 430.

A. a. I, 253, 254: Quid tibi femineos coetus venatibus aptos
Enumerem? numero cedet arena meo.

Rem. 127, 128. 783, 784.

Semel autem enuntiatio prior medio demum pentametro finitur in Rem. 707, 8:

Confer Amyclaeis medicatum vellus aënis
Murice cum Tyrio. turpius illud erit.

Passim denique prior enuntiatio hexametro nondum absoluto finem accipit, ut

A. a. I, 159, 160: Parva leves capiunt animos. fuit utile multis
Pulvinum facili composuisse manu.

15, 16. 509, 510. 703. Rem. 5, 6. 241, 242. 639, 640. 323, 324. 199, 200. 489, 490. 359, 360.

Maxime autem Ovidio placuerunt minuta illa cola, quae loquacitati ejus subtili et innumeris rerum momentis exponendis ingeniosae optime convenerunt. Id quod ei opprobrio dare non possumus, si et ad genus poësis et ad elegans illud spectamus judicium, quo ductus poëta formam argumentis singulorum locorum aptissimam invenerit. Quod pari ratione in utroque cernitur carmine. Primum autem eorum distichorum, quae tres continent enuntiationes, rationes usitatissimae hae sunt:

I, 1, 2: Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
Hoc legat et lecto carmine doctus amet.
(in A. a. lib. I. quater et vicies, in Rem. septies et vicies.)

I, 39, 40: Saucius ingemuit telumque volatile sensit
Et pars spectati muneris ipse fuit.
(in A. a. lib. I. vicies, in Rem. septies et vicies.)

I, 137, 138: Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris,
Nec tibi per nutus accipienda nota est.
(in A. a. octies, in Rem. duodecies.)

I, 23, 24: Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit,
Hoc melior facti vulneris ultor ero.

767. R. 11, 12. 77, 78. 713, 714.

Quas formas ita variavit poëta, ut unam ex tribus enuntiationibus et in pentametro et in hexametro poneret. Difficilior tamen illa verborum collocatio, quam saepe a Propertio usurpatam videmus, huic plane displicuit, ita ut raro tales versus, qualis hic in A. a. I, 49, 50, inveniantur:

Tu quoque, materiam longo qui quaeris amori,
Ante frequens quo sit, disce, puella, loco.

Quod idem animadvertimus in iis, quae quatuor complectuntur enuntiationes, distichis, quorum frequentissima atque Ovidii maxime propria ratio est haec:

I, 17, 18: Aeacidae Chiron, ego sum praeceptor Amoris.
Saevus uterque puer. natus uterque dea.

ubi duo in singulis versibus membra opponuntur. cf. similia in I, 9, 10. 29, 30. 121, 122. 195, 196. 275, 276. 309, 310. 377, 378. 493, 494. 499, 500. 641, 642. R. 187, 188. 63, 64. 93, 94. 335, 336. 385, 386. 525, 526.

Neque tamen in his substitit Ovidius, sed in uno disticho etiam quinque vel sex cola admisit. Sic in A. a. I, 91, 92:

Illic invenies, quod ames, quod ludere possis,
Quodque semel tangas, quodque tenere velis.

41, 42. 167, 168. 345, 346. 477, 8. 503, 4. 601, 2. 717, 8. 737, 8. Rem. 7, 8. 137, 8. 143, 4. 151, 2.

167, 8. 221, 2. 297, 8. 327, 8. 389, 90. 487, 8. 493, 4. 497, 8. 515, 6. 519, 20. 579, 80. 641, 2. 647, 8. 703, 4. 779, 80. 809, 10.

Deinde I, 123, 4: Altera maesta silet. frustra vocat altera matrem.
Haec queritur. stupet haec. haec manet. illa fugit.

423, 4. 595, 6. Rem. 339, 40. 505, 6. 555, 6. 603, 4. 693, 4. 747, 8; postremo septem inveniuntur cola in I, 145, 6. 227, 8. 485, 6:

Quod rogat illa, timet. quod non rogat, optat, ut instes.
Insequere et voti postmodo compos eris.

Quum autem haec membra minuta orationis semper rebus describendis aptissime usurpata neque usquam per plura sese excipientia disticha producta sint, tantum abest, ut taedium aliquod excitent, ut magnum praebeant oblectamentum; iis enim lectorum animi quasi rapiuntur atque quam celerrime in legendo progredi coguntur. Deinde autem, ut illius rei, propter quam hanc instituimus quaestionem, rationem habeamus, iis, quae attulimus, exemplis, in periodis componendis nullum discrimen interesse inter utrumque carmen, satis demonstratum esse putamus.

Itaque jam progrediamur ad singulas considerandas figuras, quas non minus ita exhibuit Ovidius, ut summam perspicuitatem cum maxima alacritate consociavisse videatur. Nunquam enim in his usurpandis eo audaciae progressus est, quo Propertius, cujus elocutio non raro hujus generis artificiis obscurior atque durior fit. Primum autem locum obtineant repetitionum figurae, quibus nullus Romanorum poëta saepius Ovidio usus est. Quod mirari non licet. Quum enim majores ambitus carminum componendorum generi haud idoneos esse bene perspexisset, repetitis singulis verbis, ut minuta illa cola ratione magis lepida atque alacri, quam conjunctionibus fieri potest, copularentur, efficere studuit.

Anaphora igitur, qua voces gravissimae, ut particulae, pronomina, substantiva, verba eadem vel simillima forma maxime in initiis earum repetuntur sententiarum, quae continua serie sive pari cum vi sive per gradationem positae sunt, non tam propter majorem, quae huic figurae inest, vim quam ad alacritatem orationis exaugendam poëtae probata est. Ut illa autem exempla, quibus conjungendi particulae, ut *et*, *sive*, aliae repetuntur, omittamus, primum eos afferemus locos, ubi Ovidius, cui summa ubertas varietatem felicem sententiarum suppeditabat, anaphora in principiis versuum sese excipientium utitur: A. a. I, 251, 2. 117, 8. 391, 2:

Non avis utiliter viscatis effugit alis:
Non bene de laxis cassibus exit aper.

437, 8. 450, 1. 471, 2. 581, 2. 615, 6. II, 15, 16. 209, 10. 51, 2. 321, 2. 463, 4. III, 93, 4. 215, 6, ubi duo repetuntur vocabula, 67, 68. 317, 8. 32, 3. 611, 2. Rem. 47, 8. 63, 4. 193, 4. 201, 2. 235, 6. quo in loco lectio Jahnii contra Merkelium retinenda videtur esse, 307, 8. 749, 50. Aliquoties vis anaphorae conjungendi particulis quasi oblitterata est, ut in I, 117, 8:

Ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbae,
Utque fugit visos agna novella lupos.

III, 93, 4. cf. praeterea I, 553, 4. III, 573, 4. Rem. 787, 8. In A. a. I, 450, 1 et II, 490, 1 versus brevior cum sequenti hexametro anaphora junctus est.

Ubi deinde initiis complurium versuum longiorum hanc figuram admisit poëta, fines duorum versuum, quum omnino eandem enuntiationum formam producere non soleret, non excessit. Quod ipse videas ex his exemplis: I, 83, 5.

Illo saepe loco capitur consultus Amori
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.
Illo saepe loco desunt sua verba diserto.

253, 5. 683, 5. II, 5, 7. 107, 9. 401, 3. 683, 5. 709, 11. 723, 5. III, 11, 13. 321, 3. 163, 5. Rem. 17, 19. 189, 91. 261, 3. 429, 31. 549, 51. Et hic quoque vis figurae passim minuitur, quod alterum vocabulum non primum versus locum obtinet ut in A. a. III, 173, 5. Rem. 763, 5. aut conjunctio aliqua addita est ut I, 93, 5. Frequentius autem anaphora singulis in versibus ab Ovidio usurpata est, semperque fere ita, ut vocabulum repetitum statim post caesuram habeat locum. Qua ratione hexametri compositi sunt hi:

I, 23: *Quo* me fixit Amor, *quo* me violentius ussit.

173. 355. 371. 475. 563. 601. 709. 771. II, 263. 291. 307. 385. 461. III, 307. 347. 387. 541 Rem. 363. 789. Aliis versus locis idem vocabulum enuntiatione altera ineunte repetitur in III, 1. 309. Rem. 283, ubi Jahnium sequamur, 489. 77. Talis autem anaphora, qualis in II, 595:

Nec vos rivali laqueos disponite, *nec vos*

extat, non iterum invenitur.

In pentametris hanc figuram exhibitam videmus in A. a. I, 122.

Pars laniat crines. *pars* sine mente sedet.

426. 518. 552. 740. II, 12. 668. 774. III, 150. 614. Rem. 526. 538. 705. Quibus in exemplis iisdem artificiis, quorum jam supra mentionem fecimus, usus est poëta ad varietatem efficiendam atque nimiam anaphorae vim diminuendam.

Jam eos locos addamus, quibus intra unius distichi fines et in initiis versuum singulorum et in alterius ambitus anaphora usurpata est, ut in I, 3, 4:

Arte citae veloque rates remoque moventur:
Arte leves currus. *Arte* regendus Amor.

39, 40. II, 133, 4. 453, 4. III, 385, 6. 567, 8. Rem. 137, 8. 727, 8. Tum idem vocabulum bis in hexametro, bis in pentrametro redit in I, 493, 4:

Et modo praecedas facito, *modo* terga sequaris,
Et modo festines *et modo* lentus eas.

cf. vs. 91, 92, aut alterum in 499, 500.

Illam respicias, *illam* mirere licebit;
Multa supercilio, *multa* loquare notis.

Raro autem in hac figura exhibenda poëta fines duorum versuum transgressus est. Quod ubi fecit, semper aut conjungendi particulas addidit aut repetitum vocabulum non primo posuit loco, quibus artificiis nimia vis repetitionis quasi frangitur. cf. I, 57–59. 239–241. 303–6. 409–11. 541–3. 691–4. 729–732. II, 117–119. 187–190. 179–183. 401–5. 517–20. III, 123–6. 329–31. 389, 93, 94. 445–3. Rem. 175–8. 317–321. 675–8. In III, 633–641 particula *cum* septies redit.

Haec hactenus. Jam ad alia repetitionis schemata progrediamur, quae hic poëta tanta multitudine admisit, ut auribus lectorum passim taedium fere excitare possint. cf. Hertzb. quaest. Prop. p. 106. Atque primum quidem Ovidius nunquam in utroque carmine, si sententia longiore versu expressa continuatur, nomen in alterius versus initio repetiit, quod Tibullus atque Propertius saepissime usurpaverunt. Aliquoties autem apud illum *resumptio* invenitur, qua unum vel plura vocabula eadem aut paullo mutata forma ex initio versus aut distichi totius in fine eorum magna cum vi repetuntur. Sic in A. a. I, 191, 2:

Auspiciis animisque patris, puer, arma movebis
Et vinces *animis auspiciisque patris.*

121. 713, 4. 633, 6. II, 165, 167. 597, 8. III, 613. Rem. 71, 2. 269, 70. 705, 6.

Alterum hujus figurae genus *implicatio* est. cf. III, 449, 50:

Redde meum! clamant spoliatae saepe puellae,
Redde meum! toto voce boante foro.

I, 585, 6. III, 63, 4. Rem. 257, 8. 265, 7. 329, 30. Huc etiam pertinent in A. a. I, v. 699, 700. II, 93, 5. 521, 2. 611, 12. III, 107. 253, 4; I, 358, 9:

Quo facilis dominae mens sit et apta capi.
Mens erit apta capi tum, cum laetissima rerum etc.

et quae cum palillogiae specie dicta sunt in A. a. I, 536, 7:

Perfidus ille abiit. quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait.

Quibus addas in A. a. I, 131, 2. 7, 8. 207. III, 551, 2. Rem. 567, 8.

Deinde πλοκή, quae magis rhetorum quam poëtarum propria similes res conjungit, oppositas disjungit, frequentissime diversis rationibus ab Ovidio usurpata est.

A. a. I, 211, 2: Qui fugis, ut vincas, quid victo, *Parthe*, relinquis?
Parthe, malum jam nunc Mars tuus omen habet.

279, 80. 320, 1. II, 279, 80. 105, 6. III, 30, 1. 651, 2. Rem. 403, 4. 606, 7. — I, 195, 6:

Quum tibi sint *fratres*, *fratres* ulciscere laesos
Quumque *pater* tibi sit, jura tuere *patris*.

310. II, 297. Rem. 119.– I, 166:

Et qui spectavit *vulnera*, *vulnus* habet.

63. 54, 5. 784. 581. II, 262. 300. Rem. 64. I, 659:

Et *lacrimae* possunt. *lacrimis* adamanta movebis.

673. 679. II, 41. 283. 277, 8. 509. 551, 2. III, 42. 98. 177. Rem. 83. 556. 576. 579. 715, 6. cf. praeterea I, 537. II, 37. III, 105. 397. 473.– I, 729, III, 752.– III, 103:

Forma dei munus. *Forma* quota quaeque superbit.

189. 191. 536. Rem. 539.– Deinde in parenthesi vocabula geminantur in A. a. I, 113:

In medio *plausu* ... *plausus* tunc arte carebant...

357. II, 267. 573. III, 53. 131. 135. Rem. 143, 4. 518. 581.– Deinde in eadem enuntiatione idem vocabulum bis ponitur in A. a. I, 573:

Atque *oculos oculis* spectare fatentibus ignem.

431. III, 14. Rem. 170. 484. 667. 195. I, 606. 140. II, 483, 4. III, 93.– Porro ἀνθυποφοράν admisit poëta in Rem. 207 et in A. a. I, 478:

Capta vides sero Pergama, *capta* tamen;

et ἀναδίπλωσιν in A. a. I, 548

Clamarunt satyri: *surge age*, *surge*, pater.

I, 12. 182. 227. II, 91. 175. 366. 533. Rem. 2. 276. 301. II, 93–5, ubi conjuncta est cum implicatione et διαφορᾷ.

At *pater infelix*, *nec jam pater*, *Icare! clamat*,
Icare, *clamat*, ubi es, quove sub axe volas?
Icare, *clamabat*.

Singularia denique haec sunt exempla A. a. I, 182:

Lite fugent *nuptae*que viros *nuptas*que mariti.

I, 680. II, 406.

Deinde aliquot locis lepida atque acuta ratione vocabula ejusdem originis vel in una vel in duabus componuntur enuntiationibus, ut in A. a. I, 587:

Inde *procurator* nimium quoque multa *procurat.*

657. III, 513. 492. II, 351. — Neque mirum est, annominationem quandam passim inveniri ut I, 244:

Et *Venus in vinis ignis in igne* fuit.

248. 174:

Atque ingens *orbis in Urbe* fuit.

372. 651. II, 24. 204:

Tu male *jactato*, tu male *jacta dato.*

107. 369. Rem. 654.

Jam accedamus ad eos versus, in quibus idem *verbum* vel eadem vel paullo mutata forma geminare placuit Ovidio. Quod primum in initiis duarum enuntiationum factum est in A. a. I, 201:

Vincuntur causa Parthi; *vincantur* et armis.

303, 4. 723. II, 35. 197. 742. II, 264. 7; deinde in finibus earum in A. a. I, 711. 747, 8. Rem. 705. 694:

Nec dic, quid *doleas;* clam tamen usque *dole.*

Idem autem verbum locum habet in priori membro, tum in fine alterius in A. a. I, 576. 146. II, 366. 166: Cum *dare* non possem munera, verba *dabam;*

aut in initio A. a. I, 481:

Quae *voluit legisse*, *volet* rescribere *lectis*

I, 485. II, 719, 20. III, 458. Rem. 504. 525. 615; aut in fine prioris et initio alterius enuntiationis in A. a. I, 270: ... Posse *capi. capies*, tu modo tende plagas.

I, 433. 664. II, 30. 423. 558. III, 368. 435. Rem. 505, 6; cf. praeterea: I, 596. 449. 451. 665, 6. 741, 2. 503. II, 398. 459. 597. 109. 201. III, 200. 439. 461, 2. Rem. 534, 5. 237, 8.

Quibus ex exemplis repetitionum schemata eadem ratione in utroque carmine exhibita esse satis apparebit. Nisi quis contra e Rem. vs. 800, 802. proferre vult, qui ultima voce excepta plane congruunt. Sed tantum abest, ut ex hoc lusu argumentum aliquod colligi possit, quo, hoc carmen Ovidii non esse, demonstretur, ut, id jure huic tribui, contendamus. Quum enim Gruppius ipse in omnibus, quae in imitationem vocari possint, Artem amatoriam cum Remediis Amoris congruere dicat, quis imitatorem aliquem suum opus illi suppositurum tale quid admisisse putabit? Ab Ovidio autem hujus generis lusus non semper evitatos esse, unusquisque, qui accuratius ejus opera tractavit, concedet.

Neque minus autem quam hac, quam modo recensuimus, figura augetur vis orationis atque alacritas *interrogatione*, qua Ovidius per tres Artis amatoriae libros bis et nonagies, in Remediis Amoris semel et tricies usus est. Aliquoties igitur majori enuntiationi per parenthesin interposita est; sic in A. a. I, 79: Et fora conveniunt . . quis credere possit? . . Amori.

II, 573. III, 331; duae plerumque ita inveniuntur, ut alia sententia iis inserta sit, qua series interrogationum paene oblitteratur, vid. A. a. I, 335, 9. II, 548, 9. III, 110, 111. 169, 71. 227, 8. 291, 3. Rem. 519, 20. cf. 429, 31. 703, 4. II, 361, 2. 368, 9. 627, 9. III, 211, 3. 413, 5. 667, 8. 713, 4. Rem. 17, 19. 261, 3. 763, 5; deinde tres I, 303, 5, 6. 691, 3, 4. III, 619 sq.; quatuor III, 93, 4, 5, 6; quinque Rem. 335–340.

Interrogationi autem proxima est *exclamatio*, cujus exempla videas in A. a. I, 131. 176. 208. 308. 313. 328. 672. 707. 741. II, 1. 125. 170. 271. 274. 447. 567. 605. III, 159. 481. 494. 804. Rem. 439. 317 sq. 389. 466. 579. 605. Aliquot in locis majore cum affectu sententia non expletur, quamquam ne hac quidem in re Ovidius eo, quo Propertius, audaciae progressus est. cf. Hertzb. quaest. Propert. p. 113; sic in A. a. I, 751. III, 73. 552. 735. Rem. 439.

Huic, quam a rhetoribus mutuatus est poëta, formulae dicendi addimus *allocutionis* exempla. Si autem omnes locos, in quibus poëta cum juvenibus atque puellis illis, quibus se ipsum facit praecepta

dantem, colloquitur, hic enumerare vellemus, infinita ejus generis in his carminibus extaret multitudo, quum is semper fere cum illis agentem se describat. Sed huc ea tantum pertinent exempla, quibus alii homines, de quibus agitur, quasi praesentes appellantur. Sic alloquitur deos aliquoties poëta ficta quodammodo quadam sermocinationis specie in A. a. I, 25. 30. 189. 203. II, 15, 16. 425. 575. 589. 704. III, 83. 142. 347, 8. 467. 762. Rem. 3 sq. 75 sq. 704; heroas atque praeclaros homines I, 303–8. 339, 40. 691–5. 704. 746. II, 7. 356. 361–4. 368. 403. 713-6. III, 2. 35. 40. 85. 158. 191. 251. 253. 336. 457. 464. 519. 703. 727. Rem. 68. 99. 261. 263 sq. 573. 605. 773; se ipsum II 33. Rem. 398; Parthos Crassosque I, 179. 211 juventutem Romanam 459. cf. praeterea I, 727. II, 635. III, 334. Rem. 366, 7. 371. 382. 471. 760. Ac mutae res ex illo poëtarum more, quo vitam iis animumque tribuunt, passim adhibita appellantur προσωποποιΐᾳ quadam. vid. I, 28:

Servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis.

et 31, 2. Este procul, vittae tenues, insigne pudoris
Quaeque tegis medios instita longa pedes.

I, 178. 322. 338. II, 151. 304. 546. III, 175. 196. 505. cf. Prop. II, 13, 16. 204. 354. 581. 698. 728. Semel in Rem. 389. Interdum autem inveniuntur loci, quibus una persona appellata alteram statim alloquitur poëta sine ulla accuratiore factae mutationis significatione. Quamquam hac in re non eadem audacia usus est qua Propertius. Sic in A. a. I, 459 sq. verbum *sis* in v. 463 non ad juventutem Romanam, quae v. 459 appellatur, sed ad juvenem, quem docet poëta, referendum est. cf. I, 131 sq. Sic in Rem. 77–81 non indicatur ab Apollinis allocutione transitum fieri ad juvenem praecepta amoris discentem cf. 397–401. Porro, ut orationi adderet varietatis ornamenta, modo unum modo plures quasi discipulos alloquitur Ovidius; quamquam prius illud multo saepius invenitur, quo praecepta graviora atque vehementiora reddantur. Cujus rei singula afferre exempla non opus videtur esse. Eodem denique consilio alteram imperativi formam frequenter usurpavit: A. a. I, 139. 145. 225. 353. 443. 493. 591. 737. II, 63. 64. 107. 199. 204. 206. 262. 288. 411. III, 59. 207. 237. 547. 801. Rem. 243. 682. 725. 761.

Neque minus momenti tribuit poëta *sermocinationi.* Qua ut saepius uteretur figura, et genere carminum et rhetorica illa indole, eruditione ejus aetatis satis exculta, commotus est. Quum enim se praeceptorem quasi esse amoris contenderet, id etiam effinxit, ut ii, quos doceret, ipsi obloquerentur, de iis, quae praecepta essent, dubitarent, novas denique quaestiones moverent. Cujus rationis singula afferre exempla, quum tantus eorum sit numerus, operae pretium esse non videtur. Deinde autem in narratiunculis illis praeclaris, quas et ut praeceptum aliquod illustraret et novum eumque maximum ornatum poësi tribueret, inseruit carminibus, personas certas disputantes induxit. vid. A. a: I, 129. 258. 247. 322. 536. 548. 555. 651. Sic Daedalus de fuga cogitans in v. II, 259 sq. quasi in scena et cum Minoe et secum ipso et cum filio colloquitur; Calypso Ulixem retentura atque Ulixes II, 130 sq. quem locum compares cum simillimo, qui extat in Rem. 277 sq., ubi Circe eidem, ut apud ipsam maneat, persuadere conatur; II, 301. 531. 585. III, 21. 45. 770. 156. 341. 505 sq.; Cephalus et Procris 697 sq. 760. Sic poëta cum Amore deo disputat in exordio Rem. Am.; vid. 301. 317. 464. 475–482. 557–574. 597 sq. Quibus omnibus in locis tamen iterum summum perspicuitatis studium inde apparet, quod verba, quibus aliam jam personam loqui indicetur, non omittuntur.

Eadem autem varietas orationi oritur e permutatis verborum modis; quod praecipue invenitur, ubi ab oratione indirecta ad directam subito transitur. Quum enim a vivida atque pulchra elocutione nihil magis abhorreat, quam obliqua, quae dicitur, oratio, quae in poëmatis iis, quibus artis alicujus vel doctrinae praecepta traduntur, propter ipsam horum poëmatum naturam saepius adhibenda est, Ovidius illa mutatione ne a soluta quidem oratione prorsus aliena ut grato artificio usus est cf.

Leutsch. p. 75. Frequentius autem, ubi praecepta dat, ab imperativis subito transit ad conjunctivos aut a conjunctivis ad imperativos, ut A. a. II, 660, 1:

Sit gracilis, macie quae male viva sua est.
Dic habilem, quaecunque brevis; quae turgida, plenam.

cf. I, 277. 389. III, 9, 10. 271, 2. Rem. 219. 243. 509, 10. Cui modorum permutationi statim addamus varium temporum usum, qui ut ab omnibus poëtis, sic ab Ovidio usurpatur non solum ad augendum orationis vigorem, sed etiam ad efficiendam quandam dicendi varietatem. Quod optime elucet e locis epici argumenti. Sic A. a. I, 103 sq.: pendebant–fuerant–sedit–respiciunt–notant–dedit–exiliunt–injiciunt–timuere–constitit–erat–laniat etc.: cf. 289–325. 527–564. 337–339:

Flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix.
Hippolytum pavidi diripuistis equi.
Quid *fodis* immeritis, Phineu, sua lumina natis,

ubi praesens non modo pro perfecto historico, sed ad actionem vere absolutam significandam positum est. cf. Hertzberg. quaest. Prop. p. 120. A. a. I, 26. 324. Deinde vid.: I, 56:

Haec *habet*, ut *dicas*, quidquid in urbe *fuit*.

241, 3. II, 69, 70. 132–5. 137 sq. III, 687–744. Rem. 17, 19. 429–32. 287, 8. 313 sq. 601 sq. Porro aliquoties praesens futuri notione usurpavit poëta, ut A. a. I, 569: Rem. 206. Neque illum respuit usum, quo elegiarum potissimum scriptores saepissime infinitivum perfecti posuerunt ad exemplum aoristi Graecorum, vid. II, 20. 98. 121, 2. 216. 252. 583, 4. I, 294. 160–2. 380. 496. 579. 674. 734. III, 215, 6. 319. 333. 370. 432. 455. 526. Rem. 58. 626; duplicata etiam sunt perfecta solito Propertii more (cf. Hertzberg. Quaest. Prop. 120.) in Rem. 763. A. a. I, 481

Quae *voluit legisse*, volet rescribere lectis.

Quam deinde saepe admiserunt hujus aetatis poetae mutationem *numeri*, ut et varietatis laudem et commodiorem expeterent versum, Ovidius quoque nequaquam neglexit. Neque tamen is, cui omnium poëtarum Romanorum maxima contigit facilitas in versibus componendis, tam saepe ut Propertius (cf. Hertzberg. Q. Prop. p. 121.) personae primae pluralem et singularem numerum promiscue posuit. Cujus rationis exempla videas haec: A. a I, 25, 26:

Non ego, Phoebe, datas a te *mihi mentiar* artes,
Nec *nos* aëriae voce *monemur* avis.

33, 4. 268. 205, 6. II, 164. 427–432. 511, 2. 535–8. 599, 600. III, 25, 6. 121, 2, 7. 339, 40. 747. 810, 11. Rem. 63, 5, 7, 9. 135, 6. 225, 6. 251, 3. 317 sq. 360–2. 385–8. 393, 4. 439, 41. 465, 6. 523. Deinde autem nonnulla substantiva notione quoque passim paullo mutata et plurali et singulari exhibentur numero. Qua in re poëtae Romani Graecos imitati sunt. cf. Bernh. synt. ling. gr. p. 58. Sic substantiva collectivae et abstractae notionis plurali numero usurpantur ut aquae A. a. I, 528. II, 344. III, 126. 340. 402. Rem. 98. 122. 448., singulari A. a. III, 130. 386. Rem. 194. 556. 552 etc.; vina A. a. I, 230. 233. 237. 244. 568. Rem. 805., vinum A. a. I, 571. 591; arenae I, 527; arena 560; vota I, 579; tura I, 638; lanae I, 691; II, 220; mella I, 748; metus 754; cineres II, 26. III, 21; cerae II, 505. 603; damna II, 677; musta II, 695; Rem. 190; otia A. a. II, 730; Rem. 786; regna A. a. III, 118. 564; munditiae III, 133; fastus III, 511; Rem. 511. fumi Rem. 185; solatia R. 247. 483, ubi pluralis substantivo singularis notionis praedicatum appositum est; furores Rem. 497; luctus Rem. 736; desideria Rem. 646; animi θυμοί I, 12. 191. 208. Rem. 392. 518. Porro partes corporis unius semper fere plurali significantur numero, ut pectora A. a. I, 20. II, 195. Rem. 427.; terga I, 68. 158. 272. 493. 541. III, 236; jubae I, 544. ora II, 92. Rem. 230; sinus A. a. II, 458. III, 34. 212. 722; colla II, 457.

784. Rem. 90. 530. 604. (collum Rem. 17), denique corpora, licet unius significetur corpus: A. a. I, 513. II, 68. III, 269. 313. Neque minus substantiva concretae notionis et metri et varietatis causa, praecipue ubi translate usurpata sunt, plurali numero posita sunt, ut juga A. a. I, 318. I, 113:

In medio *plausu* . . . plausus tunc arte carebant . . .

rastra I, 726. rogi II, 120. II, 22. aratra III, 184. limina III, 72. Rem. 786. currus A. a. III, 158. thalami III, 592. vulnera III, 746. portus III, 748. gladii Rem. 427. metae Rem. 413. arcus 435. sceptra 480. lyrae, pharetrae 705. Contra plura concretae notionis substantiva singulari pro plurali numero posuit Ovidius, ut singulae, quae describuntur, res lectorum oculis deinceps quodammodo subjicerentur; sic multus piscis A. a. I, 48. multa corona Rem. 32. cf. Bernh. synt. l. gr. p. 59. stipes Rem. 446. femina cultissima A. a. I, 97. hostis 210. conviva 603. penna II, 62. unda 182. 598. uva Rem. 189. 567. Sabina A. a. I, 102. Indus III, 130. Parthus I, 211; ad plures denique referendum est in A. a. III, 810 collum; I 110 pectus; II, 214. III, 774 tergum; II, 538 manus; II, 560. 622. 212. Rem. 216. 530 pes.

Sed transeamus, ad *ellipsis* figuram, quam ab Ovidio rarissime admissam esse non mirari debemus, quum perspicuitatis ille laudem quam maximae secutus sit. Primum igitur verbum substantivum omittitur praecipue in sententiis, quae dicuntur communes, deinde, ubi e praecedente aut sequente membro facile intelligitur: A. a. I, 4. 25. 80. 105. 146. 227. 259. 275. 281. 401–3. 434. 595. 611. 739. 747; neque probari posse putaverimus, quod Merkelius in vs. 655 et 693 v. *est* revocavit contra Jahnium editiones veteres secutus, quum Ovidius in fine hexametri id alias evitans in pentametris admiserit. cf. I, 52. 86. 98. 138. 346. 446. 552. 624. Porro verbum substantivum omissum est in A. a. II, 50. 149. 263. 338. 357. 382, quem cum Merkelio expungamus, 390, ubi cum Jahnio ὁμοιοτέλευτον retinemus, 413. 515. 537. 574. 589. 600. 661. 665. 732. III, 6. 35. 48. 110. 121. 150. 173, 5. 234. 267. 277. 377. 397. 460. 494, 5. 695. 709. 711. Rem. 5. 96. 121. 228. 281. 304. 356. 405. 659. 677. 783. In A. a. I, 541 *adest* subintelligendum est; vulgaria sunt in II, 388. Rem. 439: di melius! et A. a. I, 141: et bene. Huc etiam pertinet ille conjunctionis *tamen* usus et Tibullo et Propertio tritus (cf. Hertzb. Q. Prop. p. 123.)

A. a. I, 228: Si poteris, vere; si minus, apta tamen.
478: Capta vides sero Pergama, capta tamen.

Ut autem, quae vulgo occurrunt, velut *natalis* pro die natali A. I, 183. 405. 417; *formosae* pro formosis puellis I, 134; *niveae* intell. vestes III, 189; *fuscae*, *niveae* intell. puellae III, 191. 309., omittam, pronomina, quae sine perspicuitatis detrimento suppleri possunt, passim desiderantur. Sic *illius* A. a. I, 140; cf. 158. 359. 493. 578. II, 96. III, 239. Neque plane abest ille Propertii usus, de quo Hertzb. Q. Prop. p 123:

vid. I, 657, 8. 623: Delectant etiam *castas* praeconia formae.
Virginibus curae grataque forma sua est.

Deinde subjectum in accusativo cum infinitivo graeco more omissum est, ut in A. a. I, 51. 372. 425. 470. 616. 637. 668. II, 171. 296. 349. 522. III, 153. 75. Rem. 225. 770. Neque raro verba transitivae notionis ita ponuntur, ut accusativus a lectore facile sit addendus; sic *amare* A. a. I, 2. *vincere* 192. *narrare* 371. *auferre* 419. *discere* 646. *emere* III, 167. *inspicere* 471. *tegere* Rem. 338. *invenire* 487. *salutare* 793.

Plurimis iisque variis modis deinde Ovidius *asyntheti* figura usus est, cujus omnia afferre exempla longum idemque inutile est. Saepissime autem, ubi similitudines adduntur rebus describendis, omittuntur particulae, quae comparationem significent: A. a. I, 3, 4. 11. 45. 187. 247. 279. 363. 401. 457. 509. 627. 635. 647. 653. 679. Rem. 45. 55. 85. 97. 99. 111. 120. 127. 311. 373. 405. 421. 445. 443. 499. 526. 591. 617. 633. 657. 707. 711. 737. 769, praeterea septies et vicies in secundo, vicies

in tertio libro. Quo scribendi genere non solum languor ille, qui orationi poëtae e particulis saepius redeuntibus existeret, evitatus est, sed etiam exempla, si ad structuram grammaticam spectas, ipsa pro se posita neque ullo quasi caemento interlita nescio quam voluptatem afferunt lectori. Neque minus loci communes tritissimo omnibus poëtis usu omissis iis potissimum, quae ad causam pertinent, particulis inserti majore vi sensus perstringunt. Quorum haec invenimus exempla: A. a. I, 159. 185. 237. 246. 249. 281. 341. 349. 361. 374. 445. 740. 750. II, 152. 397. 437. 515. 559. 669. III, 42. 63. 65. 229. 368. 397. 502. 579. 752. Rem. 91. 94. 96. 323, 4. 369. 462. 503. 691. 749. Quibus ex sententiis, quae pro carminum argumento ad amorem pertinent maximam partem, iterum apparet, quam lepidus atque attentus vitae urbanae, in qua versatus est, arbiter fuerit poëta.

Eodem pertinent παρενθέσεις, quae figura conjunctionibus omissis satis usitata est Ovidio: A. a. I, 66. 79. 113. 328. 357. II, 79. 131. 135. 215. 253. 255. 259. 267. 464. 551. 565. 573. III, 53. 73. 331. 390. 494. 511. 617. 653. 659. 664. 673. Rem. 273. 314. 352. 419. 466. 482. 555. 581. 687; ubi praesertim in versu longiore interruptum est flumen orationis, ut causa aliqua, interrogatio, exclamatio, alia inserantur. Sicut autem in his, ita multis aliis in locis intelligendae sunt particulae adversativae, causales, concessivae, aliorum denique generum. Itaque conjunctio *nam* in primo libro quinquies tantum (in A. a. I, 55 enim legerimus cum Merkelio *tamque* pro *namque*, quod nusquam alias invenitur), in secundo quater, in tertio bis, in Rem. bis legitur, et *enim* in A. a. sexies, in Rem. quater. At quamquam toties singula orationis membra sine conjungendi particulis exhibita sunt, tamen ubertas earum, quae ab Ovidio in usum vocatae sunt, non parva est. Neque id mirum, quum, s in tam caesa oratione asyntheto etiam plus loci concessum esset, facile perspicuitas orationis, cui Ovidius secundum indolem suam studet, detrimentum caperet. Itaque plurimas easque summae varietatis particulas invenimus in utroque hoc carmine et coordinativas et subordinativas. Sic saepissime particulae *quoque*, *tamen*, *sed*, *ergo*, praecipue, ubi transitus fit, leguntur; duodecies tantum, fortasse metri causa, *etiam*; *et* notione passim paullo immutata cf. I, 144. 166. 170. 286. 486. II, 576; porro *et–et*, *et–que*, *et–aut*, (Dissen ad Tib. p. CLXVI.) *que–que*, *nec–nec*, *nec–et*, *non–nec*, *aut–aut*, *vel–vel*, *sive-sive*, nunc–nunc, ve, at, atque, que (tertio demum vocabulo adjunctum in A. a. I, 422. III, 22.) modo–modo, tunc–tunc, neu, quin etiam II, 267. deinde I, 424. III, 715. attamen II, 611. Rem. 52; nempe A. a. I. 413. 173. Rem. 748., scilicet A. a. I, 705. 133. II, 627. 699. III, 111. 523. Rem. 45. 619, denique I, 583. Neque minus varius est usus particularum, quibus singulae enuntiationes subordinantur. Quamquam proprietatem sermonis numquam in iis exhibendis neglexit poëta. Itaque conjunctio *quum* semper habet conjunctivum, et ubi causam significat, ut A. a. I. 347. 195. III, 171. 521. 652. Rem. 271., et ubi concedendi habet notionem: A. a. I, 677. 701, III, 605. 620–3. Rem. 121; multis aliis in locis, quibus tempus aut conditionem significat, indicativum. Formulam deinde *quid quum* indicativus sequitur A. a. I, 171. 429. 431. III, 293. Rem. 185. In II, 306 Merkelii, qui e melioribus revocat codicibus *quod*, lectionem probemus; III, 338 scribas cum eodem: *qua*. Quotiescunque *licet* invenitur, semper conjunctivum habet. Neque minori cum proprietate saepe particula *dum* usurpata est, quam alias semper cum indicativo conjunctam futurum simplex sequitur in A. a. I, 578. III, 563, conjunctivus I, 718. II, 346. III, 749. Rem. 244. 541. 646. 752. Eadem porro severitate usus est poëta in exhibendis aliis conjunctionibus, velut *simulac*, *simul*, *quoniam*, *ut*, *priusquam*, *etsi* A. a. I, 753, *donec* I, 503. Rem. 211; *dummodo* II, 276. Rem. 363. *postquam* Rem. 473. Particulam vero *quam* post comparativos nunquam omisit poëta insequentis substantivi ponens ablativum, nisi ubi admissa particula substantivum nominativo casu ponendum fuisset.

Restat, ut de formis enuntiationum conditionalium dicamus, quibus in summa varietate eandem assecutus est Ovidius proprietatem.

Quod ut brevissime demonstremus, singula apponamus exempla cujusque formae, qua hujus generis enuntiationes composuit.

Si vox *est*, *canta*. A. a. I, 595. 643. 660. II, 30. 173. 228. III, 791. Rem. 80. 333. 339. 372. 613. 723.

Si quid modo *creditur* arti
Aut numquam *temptes* aut perfice. A. a. I, 1. 387, 9. II, 291. 659. III, 263. Rem. 13. 327. 481. 489.

A! nimia *est* juveni propriae fiducia formae,
Expectat *si quis*. A. a. I, 707 II, 99. 313. 435. 609. 633. III, 11-16. 24. 463. 776. Rem. 8. 51. 442. 810.

Seu *caperis* primis et adhuc crescentibus annis,
Ante oculos *veniet* vera puella tuos. A. a. I, 61. 63. 65. cf. Rem. 249. 295. 330.

Tunc *si* quis *creditur* alto,
Vix *tenuit* lacerae naufraga membra ratis. A. a. I, 411. Rem. 387. cf. Rem. 139.

Si tacitus *spectes*, ille *recondit* opes. A. a. I, 628. II, 576. Rem. 475. 478. 619.

Si spatium *quaeras*, breve *sit*. A. a. II, 455. III, 507. Rem. 117. 477. cf. III, 759.

Si doctus *videare* rudi-*Diffidet,* A. a. I, 167. Rem. 630.

Et si nullus *erit* pulvis, tamen *excute* nullum. A. a. I, 151. 153. 469. 581. 661. II, 177. 201. 243. III, 461. Rem. 291. 544. 673.

Sed si male firma *cubabit*,
Et vitium caeli *senserit* aegra sui,
Tunc amor et pietas *sit*. . . . A. a. II, 319. 597. I, 528. Rem. 402.

Quod petis, ex facili, si *volet* illa, *feres*. A. a. I, 356. 397. 427. 669. III, 279. 681. Rem. 583. 641.

Frangis, si vires *experiere* tuas A. a. II, 180.

Haec mihi si *dederis* commoda, miles *ero*. A. I, 132. 149. 447. 728. II, 280. 340. 702. III, 661.

Si tamen *senseris*–*refer*. A. a. I, 715. II, 409. III, 462.

Gausapa si *sumpsit*, gausapa sumta *proba*. A. a. II, 300.

Spes *tenet* in tempus, semel *est* si credita, longum. A. a. I, 445. III, 109. Rem. 107.

Si qua *repugnarat* nimium comitemque *negabat*,
Sublatam cupido vir *tulit* ipse sinu. A. a. I, 127.

Praeterea cf. II, 103.–III, 107:

Corpora si veteres non sic *coluere* puellae,
Nec veteres cultos sic *habuere* viros.

Vides, quanta sit varietas quum formarum tum temporum, quo artificio poëta res tamquam praesentes describens oculis quodammodo subjecturus est eorum, qui carmina lecturi sint. Porro autem non raro conjunctio *si* omissa est in ejusmodi enuntiationibus; A. a. I, 53–56. 277. 479: Legerit an nolit rescribere? cogere noli. 614. II, 201: Riserit, arride. Si flebit, flere memento. II, 225. 289. 299. 301. 303–5. 521. III, 514. Rem. 335–8, quo ex loco variandi studium optime elucet, 459. 519. 565. 650.

Quibus addamus nonnulla, quae de praepositionum et casuum usu observavimus. Atque primum quidem verbis amandi pro ablativo solo apposita est praepositio *in* cum ablativo Rem. 453. 777. A. a. 732:

Pallidus *in lenta Naide* Daphnis erat.

Deinde causa et instrumentum praepositione eadem significatur in A. a. I, 214. 434. III, 14. Rem. 258, quibus in locis praepositione addita, res, quae describitur, magis lectorum oculis similiter subjicitur, ut in A. a. I, 1. 6. III, 149, ubi genitivum expectares. In A. a. I, 761:

Utque leves Proteus modo se tenuabit *in undas*

(comp: Propert. II, 22, 27) *in* praepositio cum accusativo conjuncta corpus in aliam formam mutatum significat. Porro praepositio *ab* apud Ovidium non minus quam apud reliquos poëtas causam exprimit, ubi solutae orationis scriptores in ablativo solo acquiescunt. Qua ratione lectores coguntur, ut rem, de qua agitur, oculis quasi lustrare videantur: A. a. I, 377. 510. 715. 724:

Debet et *a radiis* sideris esse niger.

750. II, 393. 763. III, 91. 545. 668; eodem modo *per*: I, 260. 265. 337. 585. 404. II, 46. 121. 324. III, 377. 442. 802. – Semel praepositio *sub* usurpata est more Propertiano (cf. Hertzb. Q. Prop. p. 135) ad describendam loci clausi naturam A. a. I, 289:

Forte *sub* umbrosis nemorosae vallibus Idae.

Saepe autem verborum passivis formis additur dativus pro praepositione *a* cum ablativo: A. a. I, 54. 75, 6. 143. 312. 335. 416. 491. 612. 727. II, 80. 109. 279. 681. III, 192. 282. 403. 662. Rem. 601. 783. 554. Deinde idem casus cum verbis, quae motum significant, conjunctus est A. a. I, 43. 269. 483:

Forsitan et primo *veniet tibi* litera tristis.

II, 278. 323. III, 251. Rem. 68. Praepositionem *ex* autem tam raro in utroque carmine extare, est, quod miremur. cf. A. a. III, 268. 627. II, 512. Ablativo deinde sine praepositione posito frequenter lŏca certis finibus circumscripta significantur, ut A. a. I, 28:

Servanti pecudes *vallibus*, Ascra, *tuis*.

cf. 46. 89. 103. 543. 537. 564. II, 18. 129. 393. 519. III, 102. 124. 141. 209. 231. 317. 426. 574. 646. Rem. 268. 398. 542. 727. Postremo eorum mentio fiat versuum, in quibus casus ablativus praepositione omissa usurpatur ad ea, unde quid veniat, loca significanda; sic A. a. I, 685.

Jam nurus ad Priamum *diverso* venerat *orbe*.

II, 421. III, 725. Rem. 87. 253. —

Haec hactenus. Restat, ut de similitudinibus, metaphoris, metonymiis dicamus. Ac *similitudines* quidem, quibus, quamquam pleno epicorum poëmatum flumini magis sunt accomodatae, tamen ne lyricus quidem poëta carere potest, Ovidius suo jure quasi flores orationis poëticae saepius in usum suum vocavit, quam reliqui illius aetatis elegiarum scriptores, quum carminum suorum liberius arbitrium sibi concessum esse optime sciret. Itaque primum non raro similitudines inveniuntur continuae, quibus, quo accuratius res describatur lectori, singulae etiam partes alicujus rei comparantur cum partibus ejus, quae in comparationem vocata est, rei. Quarum exempla notavimus haec: in A. a. I, 93, 94:

Ut redit itque frequens longum formica per agmen
Granifero solitum cum vehit ore cibum;
Aut ut apes saltusque suos et olentia nactae
Pascua per flores et thyma summa volant,
Sic ruit in celebres cultissima femina ludos.

553, 4. 620. II, 66. 373–6. 439–444. Rem. 731, 2. 722. 593. 692. A. a. III, 162. 185, 6. 703–6. Aliae autem comparationes breviores sunt atque capita tantummodo rerum tangunt; tum autem non raro plures cumulantur, ut A. a. I, 574:

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
Aequore quot pisces, fronde teguntur aves,
Quot coelum stellas, tot habet tua Roma puellas.

117. 213–7. 312, quae comparatio simili modo adhibita est II, 380. III, 710. Rem. 593. — A. a. I, 360. 274. 461. 759. 761. II, 517–9. 735. III, 62. 147. 303. 490. 504. 618. 786. Rem. 141. 396. Cujus generis similitudines ingenio Ovidiano aptissimas fuisse, quis non videt, quum fingendi illa alacritas atque copia, qua etiam lectorum animos allicit, et ut ita dicam, rapit, eum diutius in eadem sententia subsistere vetaret.

Proxima autem similitudinibus sunt *exempla*, quae partim e natura variisque vitae studiis, partim e deorum heroumque fabulis arcessita ad singulas res illustrandas afferuntur. Hoc igitur in artificio multi fuerunt omnes illius aetatis poëtae, quippe quod tralaticio quodam et hereditario jure ab Alexandrinis potissimum poëtis accepissent. Usi sunt autem ejusmodi ornamentis, et ut doctrinam ostentarent et ut argumenta sua inculcarent quodammodo lectorum animis. Ovidius igitur, ne magna exemplorum appositorum copia languida fierent carmina, ubi ea cumulavit, semper non solum cum summa fingendi facultate atque arte diversissima congessit, sed etiam formas enuntiationum in singulis exemplis mutavit. Atque primum uno exemplo usus est poëta ad rem aliquam describendam in A. a. I, 757, 8. II, 433, 4. 465, 6. 621–4. 649–52. 655, 6. III, 231–4. 527, 8. 555, 6. 595, 6. Rem. 27, 8. 127–130. 224. 365–8. 463, 4. 547, 8. 614. 617, 8. 625. 651, 2. 707, 8. 807, 8; duobus: A. a. I, 19, 20. 450–2. 401, 2. 627–30. 625, 6. II, 115, 6. 514, 5. 697, 8. III, 67, 8. 77, 8. 91–4. 419, 20. Rem. 45, 6. 83, 4. 97. 102. 227–30. 235, 6. 421, 2. 527, 8. 807, 8; tribus: A. a. I, 391–3. 723–8. II, 341–4. III, 399–404. Rem. 405; quatuor: A. a. I, 45–48. II, 147–150. 179–184. III, 219–224. 536–8. Rem. 445–8. 631–4; sex: I, 471–6. cf. praeterea Rem. 373–384.

Eadem autem fingendi facultate atque ubertate usus est poëta in *translationibus*, quae originem a similitudinibus ducunt. Primum autem non est, quod miremur, plurima hujus generis pertinere ad varias amoris rationes. Sic amantes comparantur cum militibus, qui Amorem ducem sequuntur; unde fluxerunt castra Amoris A. a. III, 559; tiro, miles vetus III, 565, 6. 589. I, 36; victor I, 394. 462. III, 812. II, 540. 233. 236. Rem. 675. II, 397. 674. III, 5. Deinde, quod Amor deus sagittas atque faces gestans describitur, vulnera atque flammae insunt in amantium pectoribus: A. a. I, 19, 20. III, 29. 515. 543. 434. 491. 612. 629. Rem. 139, 40. 734. 623. 729. Si autem amor finitur, ignis quasi exstinguitur: Rem. 243. 552. 198. 80, 2. 654. Aliis locis amor cum vinculis comparatur, ut in Rem. 213. 293. 524; cum jugo A. a. I, 41. Rem. 90; cum morbo Rem. 115. 77. 135. 313. 314–6. 551; cum regno Rem. 15 cf. 530. Plurimae deinde translationes, quae ad amorem pertinent, ductae sunt e navigandi, ut A. a. I, 373. II, 9, 10. III, 337, 8. Rem. 14. 532. 610. 635. 790 aut venandi studio, ut A. a. I, 270. 263. 646. II, 2. III, 554. 591. 725, 6. 731, 2. 777. 662. 427. II, 425 cf. praeterea I, 86. 88. III, 576, 7. Rem. 553–7. 233. Poëtae autem ars porro significatur arte currum gubernandi, poëta ipse auriga; inde A. a. I, 39, 40:

Hic modus, haec nostro signabitur area curru,
Haec erit admissa meta terenda rota.

264. II, 426. III, 467. Rem. 394. 397. Aliis locis se nautam describit, qui vento secundo portum petat: A. a. I, 772. II, 429–32. III, 26. 99. 499. 748. Rem. 811, 577; sacerdotem A. a. III, 616; magistrum legislatoremque amoris II, 497. I, 17. 699–702. Rem. 465. Denique poëta se curru Veneris vehi dicit in A. a. III, 809:

cycnis descendere tempus,
Duxerunt collo qui juga nostra suo.

Sed omnia enumerare longum est. Itaque satis sit, haec addere: I, 239. 368. 376. 409. II, 322. — 363. III, 7, 8. — II, 695. — III, 195. 463, 4. — I, 388. 634. Rem. 286. 411, 2. — I, 762. II, 351, 2. 379. 686. III, 193. 340. 576. 785. Rem. 70. 514.

Metonymia autem neque tam frequenter neque tam audacter quam a Propertio, usurpata est ab

Ovidio, qui ante omnes perspicuitatem orationis sequeretur; nec minus in hac figura exhibenda Graecos eum esse secutum unusquisque jam intelliget. Primum autem id, quod rei vel personae, quae describitur, maxime proprium est, ab iis quasi divulsum nominis instar ponitur, a quo hae ipsae vel res vel personae genitivo casu pendeant, ut A. a. II, 110: crimine Najadum pro: Najadibus impiis; II, 46: per lini vincula pro: per vincula lintea; III, 601: tristis custodia servi; III, 270 ad piscis opem; III, 602 cura molesta viri; II, 462. Rem. 593. — custodis cura III, 645; vittae honor III, 483; meritis viri II, 186; forma sororis. h. e. formosa soror Rem. 459; pomorum pondere Rem. 175. Interdum pro genitivo adjectivum vel pronomen possessivum eodem modo positum est: A. a. II, 271 orba senectus i. e. orbi senes; I, 398: notitiae tuae i. e. tibi cognituro; II, 160: adventu tuo; II, 392 nequitiae tuae; Rem. 371 nostra licentia; Rem. 496 imperii mei; A. a. II, 714 nece Phrygia i. e. Phrygiorum; I, 442 voce rogante i. e. rogantis. Passim quoque genitivus subintelligendus est, ut in Rem. 590 amicitiae i. e. amicorum; 621 vicinia i. e. vicini; A. a. I, 765 cunctos ad annos i. e. ad puellas cujusque aetatis; II, 667 serior aetas dictum est pro: puellae serioris aetatis; pondus II, 263 pro pomis ponderosis; I, 121 timoris i. e. timentium; 594 dulci joco; Rem. 324 virtus; 350 A. a. I, 246 forma; Rem. 365 livor; vid. I, 459. 326. II, 572. 693. 733. III, 430. 557. 760. Rem. 406. 449. 301. Cui figurae proxima est ea, quam ἓν διὰ δυοῖν grammatici dicunt. Extat autem in A. a. I, 95:

Aut ut apes *saltusque suos et* olentia nactae
Pascua . . .

i. e. apes saltus, ubi olentia pascua sunt, nactae; 180, 1. 247. 255:

Quid referam *Bajas praetextaque litora velis?*

II, 271. Turpiter his emitur *spes mortis et orba senectus.*

II, 159. 466. 673. III, 565. 593. Rem. 399.

Deinde autem substantiva abstractae notionis adduntur concretis aut appositionis loco, ut A.a.I,290:

Candidus, armenti *gloria*, *taurus* erat.

III, 337: Aenean, alta primordia Romae; III, 351: artifices lateris, scenae spectacula; 725: Cephalus, Cyllenia proles. Rem. 768. 155: Parthus, magni nova causa triumphi; I, 125. 155. Rem. 483; aut praedicati A. a. 170: Et pars spectati muneris ipse fuit; 417: magna superstitio tibi sit natalis amicae; 512: Adonis, cura deae. 555. II, 350. 746. III, 405. — I, 681. II, 561. 630. III, 326. — II, 206. III, 84. 560. — Porro pro re aliqua pars ejus insignis ponitur. Itaque tota navis significatur puppi I, 6. 402. Rem. 447. 735; carina A. a. II, 51. Rem. 811 remigio II, 126. remo Rem. 532. Equi pro curru A. a. I, 214. III, 14. Rem. 6. 258; unda pro aqua A. a. I, 258. 475. II, 36. Rem. 406. rota pro curru A. a. II, 2. 230. III, 468; numeri eburni II, 203. Eodem modo in A. a. III, 400:

Non erit ignotae gratia magna *lyrae.*

et III, 326. Piscis, *Arioniae* fabula nota *lyrae*,

quo loco imitatus videtur esse Ovidius Propertium (cf. II, 26, 18), lyra pro citharista posita est. Praeterea compares A. a. I, 5. 231. 308. 340. II; 655. III, 778. Rem, 508.

Huc pertinent etiam ii loci, quibus opus aliquod auctoris nomine significatur; sic Naso dicitur pro Nasonis carminibus Rem. 71 vid. A. a. I, 2. Rem. 363. 759, 60. 765; Sappho pro Sapphus carminibus III, 331. Tum etiam materia pro re inde confecta ponitur; sic murex pro colore purpureo I, 251. III, 170. Rem. 708; pinus pro navi II, 9; penna pro ala II, 57. 97. 644. Rem. 198. carbasa pro velis Rem. 531.

Eadem autem ratione et dii pro ipsorum donis vulgari ex usu ponuntur, ut Venus A. a. I, 33. 275. 386. 675. 719. II, 679. 701. III, 466. 609. 793, 7. 805. Rem. 405, 7. 800. 806; Mars A. a. 212. Bacchus I, 232. 565. III, 645. 765. Ceres I, 401. Musa III, 330. 790. II, 704. Rem. 762. 362.

387. 609; et regiones pro incolis, ut A. a. I, 190:

Cum timuit thyrsos *India* victa tuos.

55. 59. 174. 202. 297. 363. II, 5. III, 440. Rem. 164. 368; aut pro iis, quae ibi locum habent; sic mensa dicta est pro cibo Rem. 228. 631. cf. A. a. I, 80. III, 542. Rem. 151. 161. 670, quem versum recte spurium esse judicavit Merkelius. Neque minus ex usu omnibus poëtis usitato pro auctore facti aut causam aut instrumentum exhibuit Ovidius, ita ut rebus sensu carentibus sensus tribuatur. Unde saepissime occurrunt exempla, quale est A. a. I, 452:

Et revocat cupidas alea blanda manus.

et v. 170:

Hei mihi quam multos abstulit ira dies.

Quibus addimus ex A. a. I, 144. 133. 163, 4. 190. 229. 233. 250. 437. 348. 455:

Ergo eat et blandis peraretur litera verbis
Exploretque animos primaque tentet iter.

483. 517. 464. 574. 623. 639. 641. 657. 735. II, 26. 70:

Nec patriae lacrimas continuere genae.

88. 92. 101. 106. 145, 6. 183. 246. 387. 456. 477. 490. 647. 670:

Jam véniet tacito curva senecta pede.

cf. III, 65. II, 680. 716. III, 105. 137. 140. 152. 184. 385, 6. 469. 473. 509. 622. 688. 723:

Jamque dies medius tenues contraxerat umbras

Rem. 83, 4. 205. 218. 239. 541. 753.

Postquam igitur primum metonymiae genus, quo, quod rei vel personae alicujus maxime proprium est, pro iis ipsis ponitur, consideravimus, jam ad alterius exempla recensenda pergamus. Restat enim alia hujus figurae ratio contraria plane illi atque opposita, qua substantivum concretum ponitur pro abstracto. Quod artificium quantum valeat ad distinguendam poëtae orationem, unusquisque videt. Itaque quae notionis aut generis alicujus insignia sunt sive natura sive usu, pro iis ipsis exhibentur; sic in A. a. I, 31 (cf. III, 483. I, 32. II, 600. Rem. 386):

Este procul, *vittae tenues*, *insigne pudoris*,
Quaeque tegis medios instita longa pedes . . .

vittis et institis matronae castae, quarum insignia fuerunt, significantur; laribus res familiaris Rem. 237, 9. 302; tergis fuga, pectoribus victoria A. a. I, 209; flamma seu igni amor I, 282. 335. 526. 522. I, 573. Rem. 53. etc.; aegide praesidium III, 346. Eodem modo intelligenda sunt verba in Rem. 152:

Vade per urbanae candida *castra togae.*

A. a. I, 541. II, 3. 696. 734. 778. III, 34. 411. 812. 789. Rem. 475. 54. 806.

Ex hoc autem more poëtarum, quo pro iis notionibus, quae latius patere videntur, certas res ponere solent, alius quoque fluxit usus, quo rebus singulis epitheta adduntur, quibus, unde optimae ejus generis extant, significetur. Itaque leones appellantur Numidae A. a. II, 183; mella sunt Hymettia II, 423; succi Machaonii I, 491. Rem. 544; pix Illyrica II, 658; cf. I, 147. 182. 195. 204. 705. II, 101, 2. III, 648. Deinde vero eadem de causa in A. a. II, 743 puella nominatur Amazon. cf. III, 1, 2; castissima mulier in I, 477 Penelope; hinc intelligendus est versus in A. a. III, 672:

Lemniasi gladios in mea damna dabo . .

i. e. mulieribus ulciscendi cupidis et Rem. 313:

Curabar propriis aeger *Podalirius* herbis;

vide A. a. I, 8. III, 2. 739. 789. Rem. 385. 577. 589. 676.

Res denique ipsae pro imaginibus vel nominibus non raro usurpantur, ut in A. a. I, 220:

Quae *loca,* qui *montes,* quaeve ferantur *aquae*

non loca, montes, aquae ipsa intelligenda sunt, sed potius imagines aquarum, montium, locorum ab imperatore victore expugnatorum; in A. a. I, 551:

Et color et *Theseus* et vox abiere puellae

et I, 531:

Thesea crudelem surdas clamabat ad undas

Thesei nomen interpreteris; eodem modo Cynthia dicitur opus esse Propertii in Rem. 764; Adonis statua Adonidis I, 75; Hector corpus Hectoris 441. Alia hujus generis exempla vid. in A. a. I, 74. 206. 209. 223–6. 501. II, 127. 130. 139. 403. III, 119. Rem. 386. 755. 764.

Quibus dicendi formulis non aliena est ἀντονομασία, quae nomine proprio omisso attributis res illustrat. Ex quo doctrinae artificio praeeuntibus poëtis Graecis haud exiguum ornamentum suis carminibus addiderunt quum omnes poëtae Romani, tum Ovidius. Homerus igitur vocatur in A. a. II, 4 senex Maeonius, Hesiodus Ascraeus, Paris II, 5 hospes Priameïus; Diana Rem. 200 Phoebi soror. Ut autem demonstremus, quantum momenti tribuerit poëta huic figurae, haec afferimus exempla: A. I, 99. 150. 30. 60. 77. 165. 312. 567. 326. 507. 682. II, 711. 380. 55. 80. 221. 518. III, 19. 49. 130. 163. 330. 420. 452. 49. 390. 385. 348. 33. 106. 180. 388. Rem. 762. 111. 459. 256. 373. 778. 459. 585. Passim autem nomen aliquod non attributis, sed circumlocutione latiore significatur, ut Perseus A. a. II, 643:

Nec suus Adromedae color est objectus ab illo,
Mobilis in gemino cui pede penna fuit.

et II, 7 Pelops:

Talis erat, qui te curru victore ferebat,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.

Eodem modo omisso nomine commemorantur in III, 17 Laodamia; 323 Amphion; 332 comoediacum scriptores; I, 69, 391 porticus Octaviae et Liviae, 331 Scylla, 679 Hilaera, III, 252 Europa, Rem. 59 Medea, 367 Vergilius.

Haec hactenus; quamquam enim non omnia, quae ad elocutionem pertinent, recensuimus, tamen satis demonstratum esse iis, quae attulimus, putamus, nullum in eloquendi ratione inter Artem amatoriam et Remedia Amoris interesse discrimen, ita, ut ex his quoque, quantum sit Gruppii opinionibus tribuendum, intelligi possit. Si autem quaerimus, unde factum sit, ut, id quod supra concessimus, ubertate et copia inveniendi hoc carmen illi sit postponendum, quamvis post breve temporis intervallum ab Ovidio conscriptum, Leutschius l. all. p. 78, eum fortasse Remedia Amoris non tam sua sponte, quam ab aliis commotum judicat composuisse; quo factum esse, ut non egregium illud studium, quod Arti amatoriae, huic quoque carmini tribueret. Sed de his rebus, quod certo constet, statui non potest. Fortasse autem Ovidius, qui tam severus sui ipsius esset aestimator, ut metamorphoseon libros, quia non satis essent expoliti, nollet in lucem prodire, quum ipse claudicare aliquantulum Remedia illa Amoris sentiret, ob eam ipsam causam hujus carminis in posterioris temporis carminibus mentionem non fecit. Sed utcunque res se habet, hoc jure ex iis, quae disputavimus, contendere posse nobis videmur, non esse, cur quisquam hoc carmen credat non ab Ovidio confectum esse.

Dr. H. Schuetze.